

Nicolaus Schütze    Johann Grake

**Disputatio inauguralis De Remediis Quibus Creditoribus, contra debitores  
contumaces & fugitivos succurritur**

Rostochii: Pedanus, 1633

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731833244>

Druck    Freier  Zugang



Mittel zur Unterstützung von  
Gläubigern gegen Störrende  
und flüchtige Schuldner

N. Schütz (J. Grabe) <sup>Verf.</sup>

R. U. in. 1633.







40  
79

Disputatio inauguralis  
DE  
**REMEDIIIS**  
**QUIBUS CREDITO-**  
**RIBUS,** contra debitores contuma-  
ces & fugitivos succurritur.

Quam  
A. D. M. O.

*Decreto & auctoritate amplissimi Jurecon-  
sultorum ordinis in inclita Rostochien-  
si Academia*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Excellentissimi, Consultiss. & Clarissimi,*  
**DN. NICOLAI SCHUTTEN,**  
J. U. D. Codicis Prof. Publ. & Facultatis Ju-  
ridicæ p.<sup>t</sup>. DECANI Spectabilis

*Pro consequendis summis in utroq; jure ho-  
noribus & privilegijs Doctoralibus,*  
ad diem. 24 Julij.

*horis ante & post meridianis, publico examini subijcit.*

**JOHANNES GRAKE Lübec.**

ROSTOCHII,

*Typis exscribebat JOACHIM. PEDANUS Acad. Typ.*  
ANNO M. DC. XXXIII

1633









**D**ebitores obnoxiosos olim maximis  
pœnis, subiectos fuisse sæpius reperimus: apud  
Judæos enim in servitutem illos redigere 2.  
Reg. 4. v. 1. c. 22. Prov. vel in carceres conijcere  
Matth. c. 11. moris fuisse constat: Idem apud  
Romanos usurpatum fuisse non obscure judi-  
catur ex 1. ob æs alienum junct. auth. imo à debitore C. de obl. & act.  
& hodie non tantum apud Saxones testante Fachs. diff. 10. Land.  
lib. 3. art. 29. sed ubiq; fere locorum servatur. Fuit aliquando  
apud Romanos lex durior ex Legg. 12. tabull. (quemadmodum  
illam Phavorinus appellasse dicitur apud Gell. lib. 10. c. 1. & Quintili-  
an. lib. 8. inst. c. 8. lib. 7. c. 4.) ut debitor pluribus obstrictus sece-  
retur, ejusq; corpus secundum modum debiti creditoribus  
distribueretur: qualis autem hicce procedendi mos fuit demon-  
strat Gell. d. l. Sed hæc legum atrocitas non diu vixit, nam ob  
tumultum propter feneratorios in urbe factum lex fuit consti-  
tuta, ne propter debitum corpus esset in vinculis Livius lib. 8.  
Sed de omnibus illis prolixius præfari institutum nostrum non  
patitur, cum solum modo de Remedijs creditoribus contra  
fugitivos & contumaces debitores concessis, agere proposue-  
rimus.

### THESES I.

**A**cturi itaque cum Deo de Remedijs hisce, brevissime  
primum contumaciam delineabimus, quo magis ex  
hisce reliqua dilucidiora reddantur. Est itaq; Contu-  
macia dolosa post factam judicialem citationem in  
fraudem creditorum præsumpta latitatio, vel Magistratui alias  
quidquam imperanti denegata obtemperatio l. uni si quis jus dic.  
l. 53. in princ. de Re judic. arg. l. 7. ff. quib. ex caus. in. poss. eatur &

A 2

arg.



arg. Rubr. xlv. de dolo & cont. Unde is Contumax dicitur, qui trib. edictis vel uno peremptorio pro trib. l. 53. §. 1. ff. de Re Judic. legitimè insinuat, adeo ut in ejus notitiam pervenerint. l. 23. §. 3. ff. de appellat. præsentiam sui facere contemnit vel venit, sed non respondet, vel obscure & insufficienter respondet. l. 11. §. 4. & 5. ff. de interrog. in jure faciend. Quin & semel citatus, si judicare spondeat se nolle venire, Contumax est, ita, ne ulteriore opus sit citatione, ad hoc ut contumaciæ pænis afficiatur. Sicchar. ad l. censentaneum C. quomodo & quando.

## II.

Dividitur Contumacia quod alia sit Actoris, alia Rei, Sed de illa nos hacce disputatione non agemus, verum de hac sola; Ea fit aliquando ante, aliquando post litem contestatam, aliquando post sententiam l. properandum C. de judic. l. unica ff. si quis sus dic. non optemp. Estq; alia vera quæ rectius manifesta dicitur, alia Præsumpta secundum Pragmaticos, qui inde volunt conciliare l. 23. §. 3. ff. de appel. cum l. 3. C. quomodo & quan.

## III.

Etiamsi quis ita (ut dictum est) post debitè factam citationem sit Contumax, tamè ut effectum habeat, requiritur ut Actor compareat, Reumq; non comparentem contumaciæ accuset. l. 13. §. 2. 3. C. de judicijs. per verba ex una parte actoris absentiam incusante quod tamen limitat Gail. 1. obs. 55. n. 9. Et ut maneat in judicio donec potestas recedendi ipsi à judice concedatur arg. l. 60. ff. de Re jud. l. 73. §. 2. ff. de judic. Sed de hisce hic satis: Plura tractantur apud Hillig. ad Donell. lib. 23. c. 10. Sicchar. & Gaill. dd. locis.

## IV.

Contra eò modò contumaces debitores tria remedia à Justiniano in l. 8. C. quomodo & quando. conceduntur sc. (1.) Coactio ut se se præsentet quâ significatur Realis citatio, ut jussu judicis capiat & prehendantur, non adhuc ut in carcerem conjiciatur ut Angelus hoc explicat (quamvis id tamen aliquando fieri possit ut post videbimus) sed ut ad judicem ducatur, cui causam exponat, vel fidejussorie caveat, se posthac venturum quoties citabitur, Idq; fit si absente eo causa non possit cognosci, nam si de causa constare possit, nec fuga diversum suadeat reliqua remedia.



dia sufficiunt ut à *Castrenf. & Angel. notatur. (2.) Bonorum possessio*  
qua notatur Missio in possessionem bonorum (3.) auditis defensio-  
nib. Actoris id quod juris ratio exigit Determinatio quâ indigitatur  
Processus ad definitivam. Non autem hac in parte ordinem Ju-  
stiniani observaturus, de Processu ad definitivam initium faciam *Sententiâ*  
propterea quod sæpissimè per hanc ad illam fit aditus ut ex *definitivâ*  
seqq. patebit.

V.

Magna autem est differentia (quoad sententiâ definitivam)  
illius contumaciæ quæ fit ante litem contestatam, & ejus quæ  
post illam: Nam si ante eam, cum scil. causa nondum judicialiter  
est utrinq; agi cœpta, de eâ regulariter ab initio definitivè pro-  
nunciari nequit c. 2. c. quoniam 5. §. porro & tor. tit. X. ut lit. non  
contest. Sed tum ad instantiam Actoris, l. 4. §. 8. ff. de damn.  
insect. summam prius non tantum in actione personali, sed  
& judicio reali discussio negotiò d. c. 5. in fin. X. Ut lit. non contest.  
l. 2. in fin. C. ubi in rem. act. exer. deb. contra Speculatorem de pri-  
mo decret. §. sequitur n. 8. in rem petitam d. c. 5. §. in alijs &  
c. 3. X. ut lit. non contest. c. 11. §. 1. X. de off. jud. ord. Specul. de  
secund. decret. §. videndum n. 5. vel bona contumacis l. 1. ff.  
quib. ex caus. in poss. eat. Nov. 53. c. 4. §. 1. Auth. &  
qui C. de bon. auct. jud. possid. d. c. 5. in fin. X. ut lit. noncon-  
testat. rei servandæ causâ l. 15. §. 20. de damn. insect. l. 5. in  
princ. ut in poss. legat. cum simil. Specul. d. loc. §. jam de effectu n. 6.  
mittitur Actor & inde nisi intra annum refusus expensis, (nisi  
severe contumacem non fuisse demonstrare possit c. 3. X. de eo qui  
mitt. in poss.) & suscipiendæ prosequendæq; litis Cautione præ-  
stitâ Reus comparuerit, expelli nequit c. 11. §. præterea X. de off.  
jud. ord. d. c. 5. §. in alijs. & c. 3. X. ut lit. non contest. l. 8. §. pen.  
C. de præscript. 30. vel 40. annor. d. Nov. 53. c. 4. §. 1. in fin. ut infra  
specialibus pertextetur.

VI.

Si post eam litem scil. contestatam. Aut de causâ liquet vel li-  
quere potest, Aut non. Hoc casu qui itidem hic non attenditur Si in  
rem agatur, Actor in possessionem rei petitæ inducitur, servatâ  
tuntaxat quæstione proprietatis Reo. absenti c. prout ibiq; Gloss. &

A. 3.

Can-



*Canon. X. de dol. & contum. d. l. 8. C. quom. & quand. jud. i. 14. & in casu l. 2. C. ubi in rem act. exer. deb. sic sese habere volunt; Si vero in personam, idem quod supra th. 5. traditum est, obtinet Gloss. ad d. l. 8. C. quomod. & quand. jud. Illo casu si sc. de causâ liquet velli quere possit (Judex namq; partium merita causæ cognoscere debet) tum definitivâ sententiâ negotium terminatur, nec post reus Contumax auditur. c. prout 4. X. de dol. & contum. d. l. 8. ibiq; Gloss. C. quom. & quand. l. properandum §. sin autem 3. C. de judic. Excipitur casus singularis in c. cum olim. X. d. dol. & contum.*

#### VII.

Non ergo propter solam Contumaciam litem perdere debitorem patet ex d. l. 8. C. quomod. & quand. Nov. 112. & alijs Juris alleg. De jure vero Camerali quid hac in parte dispositum sit & vigeat v. Gaill. 1. obs. 66. Myns. 4. obs. 66. & 67.

#### VIII.

Etiam si itaq; quoad processum & sententiam contumax nullum damnum subeat, tamen hocce habet incommodi, quod à data sententia appellare nequeat l. 73. §. 3. de judic. l. 23. ff. de appellat. deinde etiam si obtinuerit, tamen condemnatur in expensas l. properandum §. sin. à C. de judicijs ubi Bald. Ord. Cam. p. 3. s. 15. §. 7. t. 42. §. sin. Sed omnia illa posita, respectu majorum qui perfectæ sunt ætatis, obtinent.

#### IX.

In minoribus vero hoc non adeo procedit, Illi etenim etiam si Justo modo ad definitivam sit perventum, tamen restituntur: Jura enim hosce non ex dolo sed ex errore peccasse, præsumunt quare nec veri contumaces in jure dicuntur l. 54. ff. de Re judic. sed quasi ut l. 8. ff. de minorib. Propter hoc itaq; verbum quasi sat patet, minores tantum restitui eo casu ubi majores præsumptiva ex contumacia condemnati, non restituntur: Nam minor si in manifestâ contumacia hæreat (ut si citatus se nolle venire respondeat) non restituitur. hic enim dolo (ob quem nunquam datur restitutio l. 9. §. 2. ff. de minorib.) non caret, cum sciens expresse judicis mandato refragetur, Ejusmodi igitur contumacia præsumptionem juris de simplicitate & errore elidit Natta tom. 1. conf. 17. n. 4. & delinquentibus auxilium Juris non tribuit l. auxilium ff. de minor.

X. An



X.

An autem minor eo casu quo restituitur possit condemnari in expensas Dd. disputant. *Fachin. 8. controvers. 104. & 10. controvers. 2. illud affirmat.* Sed puto hoc rectius negari: Cum namq; restituendus absq; dolo (propter quem à majorib. expensæ exiguntur) esse præsumatur d. l. 8. ff. de minor. pœnis doli & contumaciæ l. 119. ff. de Reg. Jur. non est subijciendus. Atq; hæc sunt quæ pro instituto nostro de primo hocce Remedio creditorum dicere volumus quomodo autem processus instituaturs continuetur, & finiatur, de hoc vide *Gaill. Græven. Mynsing. alleg. loc. Schwanman. de process. Camer. lib. 1. c. 72.*

XI.

Alterum est Missio in possessionem Bonorum, Fit à ista multis ex causis, ut ventris nomine t. r. ff. de ventr. in poss. mitt. vel legatorum t. r. ut in poss. legat. propter Debitoris exilium l. 13. ff. quib. ex caus. in poss. vel mortem l. 6. C. de bon. auth. judic. possid. vel alijs ex causis contra non contumacem l. 6. 7. §. 10. ff. quib. ex caus. in poss. vel propter contumaciam l. 9. C. de bon. auth. jud. poss. de quâ ultimâ Missionis causâ hic, relictis reliquis, agimus.

De Missio-  
ne in Bonor.  
contra cō-  
tumaces

XII.

Hæc Missio commodè describi potest: quod sit Bonorum debitoris contumaciter absent isper Decretum magistratus data Possessio.

XIII.

Est v. hoc decretum Magistratus vel Primum vel Secundum: Primum est jussus judicis quo ob contumaciam debitoris creditor in possessionem bonorum custodiæ causâ mittitur, ut eâ pignoris loco detineat, donec reus veniat responsurus *VVes. de damno in secto. n. 6.* & hæc missio ex primo decreto etiam si jure civili & Canon. sit receptissima l. 1. & t. t. ff. quib. ex caus. & c. unic. Xtr. quib. ex caus. Jure tamen Saxonico non viget *Coler. de process. exec. p. 1. c. 2. n. 12. p. 3. c. 10. n. 5. per art. 39. lib. 3. & also sicut man auch Idem. decis. 1. 34. n. 10. cum seqq.*

XIV. Ad



## XIV.

Ad Primum decretum interponendum requiritur Citatio per. l. 6. §. 4. C. de his qui ad eccles. imo peremptoria l. 27. ff. de iudic. l. 1. §. 3. de sent. quæ sine appell. Varias citationis peremptoriæ formas quæq; harum sufficiat vel non vide apud Sichard. l. 2. & seq. C. l. 8. C. quomod. & quand. Hillig. ad Donell. lib. 23. c. 11. lit. 8. Huic monitum iudicis pro tribunali sedentis quandoq; æqui pollet l. 2. & ibi Sichard. C. quom. & quand. iud. Requiritur etiam causæ cognitio Nov. 53. c. 4. l. 18. si serv. vind.

## XV.

Magistratum qui hoc decretum interponit Mixtum imperium habere necesse est l. 3. 4. ff. de iurisd. hoc tamen hodie immutatum esse vult gl. ad l. ult. C. qui admitti ad bonor. poss. Sed rectius dicitur hoc esse speciale respectu bonorum hæreditariorum, de quib. ibi agi etiam ex præced. lege cõstat, quare etiam hodie est mixti imperij ex legib. nostris.

## XVI.

Deinde requiritur debitoris turpis occultatio Gothofr. l. 7. C. de bon. auth. iud. & ut actor decretum petat, quod creditor cui dies cessit & venit recte postulat. De Creditore condicionali & cui in diem debetur Dd. diff. sed & huic primum decretum non est denegandum l. 6. ff. quib. ex caus. quamvis secundum illis concedi nequeat l. 14. ff. eod. junct. l. 50. ff. de pecul.

## XVII.

Fit autem Missio in omnia bona debitorum de Jure Civili etiam hodie. Olim hoc factum esse non dubitatur l. 1. ff. ex quib. caus. in poss. & arg. l. 7. §. 12. ff. eod. Hodie v. hoc fieri negat Wesf. per Nov. 53. c. 4. §. 1. per verba pro mensura declarati debiri Sed Cujac. recte explicat illa verba de pleno missionis effectu (sc. ut post ita distrahi possint) qui per hanc ex primo decreto non inducitur, Deinde eadem reperiuntur verba in l. 6. §. 4. C. de his qui ad Eccles. conf. Sed per hanc supr. allegg. 11. mutatas nemo dicit: jure tamen Canon in actione Reali missio fit in rem petitam c. ult. ut lite non contest. quod jus civile observat in simpliciter absente l. 7. §. 17. ff. quib. ex causis in poss. Non in contumaciter latitante l. 7. §. 16. §. 18. d. 1.

XVIII. Imo



### XVIII.

Imo fit etiam in bona emphyteutica & alijs oppignorata l. 5. §. 7. ff. *ut in poss. legat.* & bona fide empta d. l. 5. §. 9. imo feudalia *Ves. de reb. auth. jud. possid. in fine.* & in ea quæ à testatore alienare sunt prohibita *Dissent. Alex. 1. conf. 23. n. 7. per l. 2. C. & usuc. pro empt.* Sed illa lex habet Specialem rationem *ut ex gl. ad eam pater,* nam testatoris voluntas juris dispositioni nihil derogare potest præsertim in casu alleg. *Ab Alex.* Non tamen conceditur missio in bona deposita & commodata *alleg. l. 5. §. 10.* Quo vero ordine missio hæc instituaturs constat *ex Ves. de damn. inf. n. 6.* quomodo in servitutib. l. 18. ff. *si servitus vind.* quomodo in iudicio divisorio *Menoch. arb.* Quid respectu rationum observetur v. l. 15. ff. *de reb. auth. jud. poss.*

### XVIII.

Et cum ita fiat in omnia bona missio, necesse est ut decernatur ea à iudice ejus loci ubi domicilium habet, & res suas possidet, Reus, Verum si debitor fugitivus & contumax alio in loco domicilium alibi res suas habeat? Resp. *cum Gaill. 2. obs. 130. n. 14.* Judicem domicilij debitoris esse adeundem ut cognoscat & pronuntiet de immiissione facienda: at executio non fit per eundem, sed per iudicem territorij ubi res sunt l. 1. ff. *de bon. auth. jud. poss. l. 12. §. 5. is qui possid. d. r.*

### XX.

Non à simplex illa missio cum fiat rei servandæ causâ l. 1. ff. *quib. ex caus. veram possessionem tribuit l. 3. §. fin. de acquir. poss. l. 10. §. 1. d. r. l. 3. §. 8. ff. uti possiditis.* Et hoc idem statuo cum fit in rem petitam ex actione Reali *de jure Canon.* Non itaq; distinguendum hac in parte inter jus Civile & Canon. Etiam jus prætorij pignoris per illam constituitur l. 26. ff. *de pign. act. l. 3. ut in poss. leg. l. 2. C. de prætorio pign.*

### XXI

Unde creditores in bona missi non solum sibi sed & omnib. alijs creditorib. l. 5. §. 2. ff. *ut in poss. leg.* Debito modò & congruo tempore venientib. l. ult. C. *de bon. auth. jud. poss.* profunt sua possessione *dd. ll. & l. 12. ff. eod.* Si contra reliquos etiam latuit, potest enim contra quosdam non latitare l. 7. §. 7. 13. ff. *quib. ex caus.*

B

XXII. Miss.



## XXII.

Missus in bona & fructus custodire, aliquando eos ex cansā vendere, Eisdemq; vel in sortem imputare, vel restituere, vel quod ex illis consequitur conservare debet *arg. l. 5. §. 21. & 22. ff. ut in poss. leg. nisi Reus sit nimium contumax, eo enim casu fructus percipere & nonnunquam lucrari potest missus l. 7. §. fin. quib. ex caus. in posses. & sic restringitur l. 5. §. 22. ff. ut in posses. legat.*

## XXIII.

De fructib. v. preceptis inops creditor non alitur *l. 6. §. 42. de carb. edict. nisi in casu l. 7. §. fin. quib. ex caus. Non v. excipiuntur illæ personæ notatæ in l. pen. ff. ut in poss. leg. quamvis ex æquitate etiam in nostris terminis hoc concedi posset, si admodum inopes sint: nam d. l. pen. loquitur in term. legati: ut & l. 5. §. 3. ff. de Carbon. edict. Nec debitor ex fructib. alitur nisi sit pupillus l. 33. l. ult. ff. de Reb. auth. jud. possid.*

## XXIV.

Aliquando accidit quod reus missionem ita factam nolit admittere, & tunc in eum datur actio in factum quanti creditoris interest, quod utilitatem ejus, vel quanti res est propter quam missio fuit decreta, continet *l. 4. §. 2. l. 7. in princ. de damu. infect. l. 1. pr. §. hæc verba Ne vis fiat. Quapropter si ob falsum creditum vel quod exceptione potest submoveri d. l. 1. §. 5. vel meum sim consecutus ita ut debitor liberetur, nec obligatio remaneat l. 51. §. 1. ff. de Re judic. cessat: potest etiam si creditor maluerit per manum militarem in missionem accipere l. 3. ff. d. t.*

## XXV.

Cum autem per primum decretum nec possessio vera (*Nisi post litem contestatam in actione Reali ut supra dictum*) nec dominium transferatur, Reo justo tempore adhuc venienti restitutio fit Ubi tamē secundum prædeducta reus tenetur refarcire omne damnū *l. 18. ff. si servitus vindicetur & expensas & præterea cavere Nov. 53. c. 4. c. 5. §. fin. x. ut it. non contest. l. pen. §. pen. C. de præser. 30. ann. idq; ab omnib. exigendum Dd. arbitrantur Alex. cons. 205. n. 4. lib. 2. Quod si præstare nequeat cautionem fidejussoriam, juratoria accipi potest *VVurms. 7. obs. 7. n. 6.**

## XXVI. Circ-



## XXVI.

Creditor vero qui restituit, si res dolo illius l. 9. pr. & §. fin. ff. de reb. auct. jud. vel lata culpa arg. l. 226. ff. de verb. sign. l. 1. 7. ff. de susp. tut. l. 5. §. 15. ff. ut in poss. leg. arg. d. l. 9. §. 5. deterioratae sunt, ex dolo in factum actione tenetur d. l. 9. pr. Non vero de levi, de qua tenetur curator bonis datus d. l. 9. §. 5.

## XXVII.

Tempus petendi restitutionem possessionis, in actione reat. si annus est c. fin. Xrr. ut lire non contest. In personali vero triginta annorum spacium, si secundum decretum non sit interpositum, cum enim possessio deficiat l. 3. §. fin. ff. de ad quir. posses. praescriptio longi temporis cessat c. sine possessione 3. de R. I. in 6to Saepius tamen tempus id Judicis arbitrio relinquatur l. 5. l. 15. §. 21. de damn. infecto.

## XXVIII.

Et haec dicta in primo decreto obtinent. Missio v. ex secundo decreto quae non absurdè translatio possessionis appellatur l. 15. §. 21. ff. de damn. infecto l. 7. §. 1. ff. quib. ex caus. actori majorem potestatem tribuit, & describi potest, Alter Magistratus jussus, quo ob contumaciam absentis debitoris, eum qui ad rem derinendam in possessionem missus erat, causa cognita verum possessorem & quandoq; dominum esse jubet c. 1. X. de eo qui mitt. l. 5. l. 7. §. 1. l. 15. §. 21. de damn. infecto. l. 3. §. fin. de ad quir. posses.

## XXIII.

Ad hanc faciendam, citationem & causae cognitionem requiri non dubitatur: in causae cognitione consideranda sunt, an latet fraudationis causa, an tempus sit elapsum & de debito constet, l. cum proponas 9. C. de bon. auct. jud. possid. l. 7. §. 1. cum seqq. ff. quib. ex caus. quorum si quid defuerit non tenet venditio nec adjudicatio l. 8. §. 17. ff. de transact. & l. 7. §. 3. ff. ex quib. caus.

## XXX.

Hisce consideratis interponitur secundum decretum quod in actionib. personalibus necessario requiritur l. 3. §. fin. ff. de acquir. poss. l. 7. §. 1. ff. ex quib. causis. In realibus non item sed solus anni cursus pro decreto sufficit c. contingit Xrr. de dolo & contumacia c. pastoralis Xrr. de offic. jud. ord. cum similib.



### XXXI.

Est autem hujus effectus major, quam illius ex primo decreto, nam per hanc veram possessionem acquiri *l. 15. §. 25. ff. de damno infect. l. 7. §. 1. ff. ex quib. caus. quandoq; dominium dd. l. l. 7. §. 9. ff. commun. divid. l. 15. §. 3. ff. de re judic. & semper usufructu conditionem l. 15. §. 4. ff. de re jud. & arg. t. t. ff. de publ. in rem act. & instit. de act. §. 4.* Et hoc fit per secundum decretum, quod & uno eodemq; bona possideri vendique jubentur *l. 7. §. 1. ff. quib. ex causis non per tertium ut vult Hotoman, ad l. 31. §. 1. C. de judicijs, qui tria decreta agnoscit.*

### XXXII.

Fit autem hæc missio secundum modum declarati debiti *Nov. 53. c. 4.* nam superfluum ex rebus distractis acquisitum restituendum est *l. 7. §. 11. ff. ex quib. caus. l. fin. C. de reb. auth. jud. possid.* etiamsi in omnib. bonis locum habeat, & consentiente domino in feudalib. *Vves. par. d. 2.* imo in omnib. contentis *sub l. 49. ff. de verb. Signif.* Non tamen in bonis pupillorum nisi propter eorum commodum & necessitatem *arg. l. 7. §. 11. ff. d. t. nec in hæreditate l. 8. ff. eod.* Nec in debito conditionali, nec adversus eum qui peremptoria vel dilatoria exceptione tutus est *l. 7. §. 14. h. t. arg. l. 55. ff. de Verb. Signif.*

### XXXIII.

Distractio autem fieri debet in loco ubi defendi debuit: *l. 1. cum seqq. ff. de reb. auth. jud. possid.* quæ olim fiebat publicè solenni sub hasta, modo illud quem notat *Hillig. ad Donell. lib. 23. c. 13.* Quomodo autem hoc practicetur in Gallijs tradit *Tholosanus lib. 23. c. 16.*

### XXXIV.

Datur autem hoc secundum decretum eo fine ut Creditores tanto citius sua consequi possint, sed tamen eo momento quando bona distrahuntur, creditor ad licitationem non admittitur *l. 2. C. si in caus. jud. pign. capt. l. 3. C. de exec. res jud. l. ult. §. fin. vero C. de jur. domin. impet.* (quamvis post eam factam alijs extraneis præferatur *l. 16. ff. de reb. auth. jud. possid.*) Hinc quoq; si emptor non reperiatur, creditori bona addicuntur *l. 15. §. 3. ff. de re jud.*

### XXXV.

Ut autem melius res custodiri *l. 14. ff. de reb. auth. jud. poss. vel distrahi*



distrahi possint l. fin. ff. de curat. bon. dand. Curator bonorum constitui solet (olim bonorum magister appellatus Godd. l. 57. ff. de Verb. Sign. n. 3.) qui semper à Prætorè constitui potest l. 2. ff. de curat. bon. dand. l. 23. §. 1. & seqq. ff. de hered. instit. l. 7. §. 10. ff. quib. ex caus. consentientib. creditoribus d. l. 2. Vel etiam privato consilio creditorum eligi, cuius gesta nullos quam suos electores tangunt l. fin. ff. de cur. bon. dand. l. 22. §. 10. ff. mandati.

XXXVI.

Possunt etiam plures eligi (nemo tamen invitus nisi ex magna causa l. 2. §. 3. ff. h. t.) qui omnes in solidum tenentur l. 3. ff. h. t. nisi ab initio commissio divisa sit l. 2. §. 2. vel ad curā quis coactus sit, tum enim non nisi in subsidium, alijs curatorib. solvendo non existentibus, convenitur gloss. ad l. d. 3. per l. 1. C. si tutor. non gess. d. l. 3. §. 2. ff. de administr. Curatores autem tenentur actionē in factum & creditorib. & debitori ipsi l. 9. §. 3. & 5. ff. de reb. auth. jud.

XXXVII.

Etiam si vero curatores ita constituti utiles actiones exercere possint, l. 5. §. ff. procur. l. 2. §. 1. ff. de cur. bon. dand. ante litem tamen contestatam procuratorem non constituunt arg. l. 11. neg. C. de procurat. Sed actorem illos constituere posse arbitror arg. l. 24. ff. de administr. tut. Post litem vero contestatam hæc omnia possunt l. 2. §. 1. per verba uti ius esset ff. d. cur. bon. dand.

XXXVIII.

Quod si per tale Decretum secundum, Bona Debitoris distrahiendi vel in solutum accipiendi potestas auctoritate Magistratus Actoris facta non sit, (quæ tamen frequentius secundum hodiernam Consuetudinem practicam, præsertim cum nulla excusandæ contumaciæ præsumptio subsit, aut multi Creditores inveniantur, fieri, nec ita præcisè anni cursus attendi solet, juxta l. 6. l. 9. l. 10. ff. quib. ex caus. in possess. eat. V. Vvesemb. in parat. n. 4. ff. de bon. aut. jud. & de damna. in fest. n. 11. & 12. Gloss. & Dd. ad d. c. 5. in fin. X. ut lit. test. non conf.) Tum legitima causæ defensio Regulariter reservatur c. 5. in fin. X. ut lit. non contest.

XXXIX.

Cum autem debitores animadvertentes se non esse solventes multa in fraudem creditorum alienare possent, ac ita missio-

B 3.

De  
Pauliana  
nem actione.



nem eludete. Prætor huic dolo etiam occurrere voluit proponendo Actionem Paulianam (ab autore suo ita nominatam) duobus edictis, unius tamen sententiæ l. 1. l. 10. ff. *quæ in fraud. credit.* quæ datur ad impediendum dolosum propositum debitorum alienantium, & ab ipsis quandoq; etiam sine dolo accipientium. Unde recte definitur Actio mixta, à prætore creditoribus concessa, quæ bona, in eorum fraudem alienata, revocantur.

XL.

Est vero hæc actio mixtæ naturæ & dativa, quæ accommodatur secundum æquitatem & mox personalis mox realis sapit naturam Bacch. *Inst. de Action. §. item si quis n. 3. Franz. illam vult. esse realem in sua exercit. de Action Hillig. arg. l. 35. ff. de Oblig. & action. Personalem.*

XLI.

Estq; hæc eadem illa de qua agitur in §. *item si quis inst. de act.* Diff. Donell. ad §. *quam sequitur Kremberg. tr. de action.* Et si enim in quibusdam speciem hypothecariæ præ se fert, hoc tamen non fit in omnib; non quoad actiones alienatas restaurandas l. 14. ff. *quæ in fr. cred.* nec quoad tempus quando bona sunt alienata ante pignus prætorium constitutum l. 15. l. 17. *eod.*

XLII.

Ut autem hæc actio intentari possit requiritur vere fraudulenta debitoris alienatio, & regulariter tertij fraudulenta acceptio l. 6. §. 8. l. 10. §. 1. d. t. & ita eventus & consilium in dolo concurrere debent, aliàs hæc actio locum non habet d. l. 10. l. 5. C. h. r.

XLIII.

Aliquando tamen tertij fraudulenta acceptio necessaria non est, sc. si ex titulo lucrativo rem (etsi bona fide) quis accipiat ex dolo debitoris, nam tunc solus titulus lucrativus sufficit ad restitutionem petendam, quatenus inde sint facti locupletiores l. 6. §. 11. ff. h. t. l. 5. C. *eod.* quo casu conceditur actio in factum Pauliana l. 10. d. t. Hinc & in legatis vel mortis causa donationib; non requirimus dolum legatarij vel donatarij l. 1. §. 1. ff. *siquid. in fr. patr.* sed solam scientiam Debitoris, quod hisce alienatis, esset futurus insufficiens ad solvendum, eo enim ipso præsumitur esse in dolo l. 17. §. 1. h. t. nam in hac actione etiam dolus præsumptus



sumptus sufficit. Secus tamen res se habet, si quis rem acceperit  
tit. oneroso, nam tunc requiritur etiam fraus accipientis *per l.  
alleg. & l. 6. §. 8.* aliàs non revocantur, cum utriusq; scientia hic  
requiritur *l. 1. §. 2. l. 10. §. 22. d. t.* Est tamen fraus commissã  
ab actore probanda *arg. l. 2. ff. de probat.* quæ ex præsumptione  
probatur ut videre est *ex l. 17. §. 1. d. t.*

#### XLIV.

Ad hanc vero actionem interponendam non requiritur ut  
alienatio sit facta post secundum decretum interpositum, vel  
cessionem factam, sed sufficit alienationem esse factam post pri-  
mum decretum imò & ante illud interpositum *l. 17. §. 1. arg. l. 15.  
de curat. bon. dand.*

#### XLV.

Datur autem hæc actio creditoribus omnibus etiam hypo-  
thecarijs etiam si illis non sit semper necessaria ut & supra dixi-  
mus *th. 40.* Lex enim facit indistinctè mentionem creditorum.  
Daturq; creditorum successoribus *l. 10. §. 1. §. fin. cum l. seq. ff. h. t.*  
non vero noviter advenientib. Creditoribus, nisi eorum pecunia  
alij dimissi sint *l. 10. §. 1. l. 15. cum seq. h. t.*

#### XLVI.

Et conceditur contra omnes decipientes tam majores quam  
minores & pupillos; adeo ut etiam ijs scientia illorum tutorum  
noceat etiam si ipsi ignorent, sed tamen quatenus ad eos perve-  
nit *l. 10. h. t.* non tamen contra bonæ fidei emptorem *l. 9. h. t.* Et-  
enim si dolose emens bona fide ementi rem vendidit, in solidum  
pretium rei quod accepit tenetur *d. l. 9.* Datur etiam hæc ac-  
tio contra ipsum creditorem, si quædam pro suo debito, sciens  
debitorem non esse solvendo, acceperit, post missionem in bo-  
na facta *l. 6. §. 7. ff. quæ in fraud. cred.* non vero ante eam *d. l. & l.  
10. §. 16.* Datur etiam in fraudatorem ipsum, si omnibus bonis  
distractis debitoribus satis facere nequeat, ad pœnam, scil. car-  
ceris veluti si bona alienata recuperari nequeant. *l. fin. §. fin. ff. h. t.*

#### XLVII.

Hæc vero actio ante debitoris excussionem locum non ha-  
bet, Ad tertium enim nisi de residuis sufficienter solvi nequeat  
veniri haud potest *l. 1. 2. pen. C. h. t.* sed si tertius non excipit de  
illo,



illo, vel res certa aut species quæ debetur apud tertium extet, rectè intentatur *Schneidwin. ad d. 5. n. 64.* vel si notorium sit debitorem non esse solvendo, Daturq; intra annum utilem distinctè, nam tunc pœnalis est, cum detur etiam contra deceptorem nihil penes se habentem ut explicat *Bacch. per l. 9. h. t.* nam quatenus persequitur quod ad aliquem pervenit, perpetua est *l. 10. §. 24.* Annus autem computatur, quo experiundi potestas fuit à die venditionis factæ *l. 6. §. fin l. 10. §. 18. d. t.*

XLVIII.

Datur vero adhuc, ut restituantur actiones *l. 14. ff. h. t.* & res cum omni causa sc. perceptis & qui tempore alienationis rei co hæserunt fructus, & qui post litem contestatam percepti sunt *l. fin. §. 4. ff. d. t.* percipi q; potuerunt *l. 10. §. 20. h. t.* non autem medij temporis, multo minus illis quos acquirere noluit *l. 6. d. t.* Potest autem fraudator antequam fructus restituat impensas in *l. 10. §. 20. præscriptas* deducere.

XLIX.

Est autem illud quod hætenus egimus contra debitores contumaces & fraudulenter alienantes jure nostro dispositum: Verum cum debitores & fugâ pleraq; hæcce inania reddere possint, necesse est videamus quomodo contra hosce procedi possit & debeat. Et cum in *d. t. quæ in fraud. cred.* duo proponantur, nempe carcer in *l. fin. §. fin.* (quamvis non in nostris terminis) & ablatio rei suæ in *l. 10. §. 16.* brevibus quædam de hisce proponemus, de utrôq; paucis dispiciendum.

L.

Fugitivi  
debitores  
quando  
Capiantur.

De captura itaq; cum primum nobis sit tractandum sciendum quamvis non facile ad hanc perveniri debeat, est enim remedium extraordinarium ut patet & confirmat *Greven practic. conclus. 26. lib. 1. Gaill. 1. obs. 26. n. 1.* Eam tamen casu nostro, sc. contra debitorem fugitivum, esse permissam, (per fugam namq; omnem sui juris effectum perdere creditor posset.) *l. 1. C. qui bonis ced.* sc. si à judice competente, legitime fiat, est enim species executionis aliquem capere *l. 1. C. de execut. Rei jud.* à quâ aliàs non incipitur, sed judex cognoscere debet an illam jubere debeat vel non.

LI. Dixi



# LI.

Dixi iudice competente : Nam iudici incompetenti hanc potestatem non puto esse concedendam, etiamsi competentis non possit haberi copia per l. 5. C. de iurisd. omn. iud. l. 20 ff. de iurisd. Ille enim pro privato habetur ideoq; ipsi impune non pareretur l. pen. ff. de iudic. l. fin. C. si a non compet. Sed etiamsi hoc de jure civili verum arbitrer video tamen Dd. & praxin communiter contrarium observare gloss. & Dd. ad l. 10. §. 16. ff. quæ in fraud. cred. Mynsing. 2 cent. 65. Gaill. 2. obs. 44. n. 2.

# LII.

Plane autem non privato creditori id concedendum est, cum nemini sit permissum in propria causa judicare t. t. C. ne quis in propria causa judicet, multo minus exequi (nam species executionis est capere l. 1. C. de execut. Rei iud.) l. non est singulis ff. de Reg. Juris.

# LIII.

Dixi etiam legitime fieri debere incarcerationem. Tria itaq; requisita à Doctorib. proponuntur Gaill. obs. 44. Quorum primum mihi etiam placet, nec magna inde disputatio oritur, etiamsi aliqualis : De secundo, quod scil. debitum liquidum esse probari debent chirographo debitoris, vel instrumentis publicis vel testib.) non idem sentio, Nam & juramento creditoris illud satis evinci posse autumo, cum semper contra fugitivum fortiter præsumatur & fuga juxta Glossam semiplenam probationem faciat gloss. ad Nov. 128. §. 23. & l. 3. C. de reb. credit. Nec distinctio illa Dd. an periculum sit in mora, vel non, locum hic invenit cum circa fugitivum illud regulariter semper adsit, quæ propter licitè à Regulis juris recedi potest ut statuit ipse Gaill. c. 3. de Arrest. Sed ut ut sit hæc tamen rectius iudicis arbitrio relinquuntur, Hillig. ad Donell. lib. 24. c. 19. lit. y. ubi explicat quæ considerare in hoc iudex debeat.

# LIV.

In tertio requisito Gaill. juramento, fugæ suspensionem in verisimilibus conjecturis fundatam, probari posse putat, Verum cum quilibet præsumatur bonus, & qui se fundat in aliqua qualitate præsumptioni contraria illam probare debeat, gl. ad l. 5. §.

C

pro



pro rei ff. qui satisd. cog. per l. 31. ff. de reb. auct. jud. poss. arg. l. 5. §. 6. ff. de re. milit. Tales autem probationes de illa privilegiata jura-  
menti nunquam intelliguntur. Illud judici non nisi ex magna  
causa accipiendum esse arbitror Menoch. de arb. jud. cas. 87. Vsq. 26.  
contro. 26.

LV.

Hiscæ observatis judex capturam legitime decernit, non  
solum contra debitorem qui statim debet, sed & contra eum qui  
in diem debitor est, ad interponendam sc. cautionem arg. l. 41.  
ff. de judicijs.

LVI.

Non tamen contra mulieres l. 1. junct. auct. sed hodie C. de  
offic. divers. judic. nec Doctores l. 6. C. de profess. & med. Nec epi-  
scopos Nov. 123. nec illos qui ad statuas principum confugissent  
l. 2. ff. qui sunt sui vel. nec qui in domo sua est. arg. l. 18. ff. de in ju-  
vocando.

LVII.

Sed cum aliquando debitores, quo citius aliquid accipiant,  
se ad carceres obligare solent, si eo die pecuniam non solvant,  
(quod & in Gallijs observatur pactum & tenet teste Joann. Fabr.  
§. fin. Inst. de action. Guid. Papac. 61. n. 1.) necesse est ut videamus  
an etiam tale pactum valeat. Hoc quidem de jure civili nego  
posse valere, per rationes adductas à Mynsing. 6. cent. 51. n. 2. sc. quia  
nemo dominus suorum membrorum, nec pactum ordinem juris  
intervertere potest, ut ab executione initium propter id suma-  
tur. Etiam si ipse Mynsinger. per multas rationes contrarium sta-  
tuat idq; in Germania observari testetur n. 7.

LVIII.

Cum itaq; justo & legitimo modo facta est incarceration vel  
apprehensio solutione vel satisfactione tollitur l. 7. §. fin. ff. qui  
satisd. coguntur l. fin. C. de ordine cognit. Sed illa satisfactio debet  
esse idonea, nam juratoria hic non sufficit, cum integritas mo-  
rum & famæ (quæ in fugitivo non est) in tali requiratur & hoc  
probatur argum. constit. arresti quæ idoneam requirit Gaill. d. Arist.  
4. 3. n. 3.

LIX. Nam



LIX.

Nam si illegitimo modo facta sit, statim est relaxandus in-  
carceratus absq; præstatione satisfactionis, spoliatus enim ante  
omnia est restituendus l. 7. C. ad l. Jul. de vi c. 4. de restit. spol. Tali-  
ter autem captus dicitur spoliatus sua libertate l. 1. 2. ff. de libero  
hom. exhibend. l. plerique ff. de in ius. vocand. Imo captus propria  
authoritate recedere potest & aufugere Bart. in l. 15. C. de probat.  
Hinc talis satisfactio nullum habet effectum l. 22. ff. quod. metus  
causa.

LX.

Ad Res vero debitoris quod attinet, necesse est hic simplici-  
ter affirmare illas iudici competenti vel incompetenti recte ca-  
pere & auferre licere: nam & propria autoritate creditor hoc  
facere potest l. 10. §. 16. ff. quæ in fraud. credit. sc. si debitor fuga a-  
bierit, atq; ita hanc legem (uti & scripta est) ad solas res auffer-  
endas debitori, restringo, non ut Dd. communiter faciunt ad  
ipsum personam eam extendentes.

LXI.

Probavimus supra pactum personæ ad carceres non valere  
sed quid statuendum sit de tali pacto, quod si illa diè non solvi-  
tur debitum, creditor rem propria autoritate occupare debeat  
explicare potest ex l. 3. C. de pignorib. per verba vim quidem fa-  
cere non videntur quod sc. illud pactum excuset à pœnis l. 13. ff.  
quod met. caus. non vero quod possessionem veram tribuat, nam  
illa autoritate præsidis petenda est d. l. 3. Et hæc de duplici  
hoc Remedio primo contra fugitivos, quod etiam uberius ex  
seqq. de Arrestis innotescet, ubi plura quæ non inepte quidem  
huc pertinent, ibi tamen commodius explicantur, tractabuntur.

LXII.

Ad Arresta itaque aliò quodam adversus fugitivos remediò  
progredientes, sunt Ea vel publica quæ & Imperij appellantur Arrestum  
vel privata De illis præsentì disput: non agemus Hæc ad contra de-  
commodum privatorum spectant, & fiunt vel propter delictum bitores  
(Cum quib. etiam nihil nobis rei est) vel propter debitum: In quando  
hisce solummodo aliquid contemplantur. permittat-

C 2

LXIII. Pri-  
tur.



LXIII.

Privatum autem propter debita arrestum definiri potest: Prohibitio magistratus, de non excedendo ex certo loco vel res auferendo, antequam negotium cum illo & creditore sit compositum, Debitori facta.

LXIV.

Sunt vero Arresta vel conventionalia quæ ex partium conventionione fiunt (& hæc cum ut pacta valere possint jure conceduntur *l. 1. l. 7. §. prætor ait ff. de pact.*) vel Judicialia quæ judicis licentia & decreto decernuntur: Et hæc de jure civili in casibus civilibus regulariter sunt prohibita *per text. alleg. à Gaill. de Arrest. c. 1. n. 7.* Verum cum necessitas quæ propter periculum moræ imminet, à regulis juris secessum permittat, Dd. illa nostris in terminis recte recipiunt.

LXV.

Sunt itaq; arresta concessa ubi periculum est in mora ut propter debitoris fugam *arg. l. 10. §. 16. ff. quæ in fraud. credit. & arg. l. 1. C. quand. lic. unic. sine jud.* (in fugitivo enim cessant omnes solennitates juris *Sich. l. unic. C. de prohib. sequestr. pec. n. 13.*) vel suspicionem fugæ *gl. ad. l. 1. ff. de transactionib. gloss. ad l. 14. ff. de pignor. & l. 2. C. de transactionib.* Quis autem sit de fuga suspectus hoc judicis arbitrio puto esse reliquendum cum *Sichard. d. t. Francisc. Curtius de Sequestr. n. 31. & seqq. Angel. de Sequestr. n. 5.*

LXVI.

Non tamen omnibus, etiam eo casu quo aliàs licita est Arrestatio, conceditur: Deportatus enim & ex communicatus & reliqui qui ea quæ juris civilis sunt amiserunt, debitores suas non arrestant, nam etsi illi ea quæ juris gentium sunt retineant, *l. 15. de Interd. & releg.* tamen arresta (quæ moribus civilibus ex certis solummodo causis sunt introducta) exercere non possunt. Et hoc in excommunicato de jure canon. nullum habet dubium eodem namq; jure quamvis excommunicatus respondere per alium teneatur *c. 7. de judic. agere tamen nequit c. 8. xt. de exceptionib.*

LXVII.

Fit autem Arrestatio non solum per semetipsum sed & per procuratorem



procuratorem: In quo speciale mandatum non requirimus. Procurator enim in re mandatā regulariter ea potest facere quae principalis, nisi legib. expresse quid excipiat. & qui concedit jus agendi concedit etiam preparatoria ad illud l. 56 62. ff. de procur. Hic Peck. vult conciliare Dd. diversimodo loquentes dicendo Procurator generale mandatum habens potest arrestare, si verosimile sit principalem si praesens esset hoc facturum, sin non, secus. Sed non facit ad rem: nam aut potuit arrestare principalis, vel non, hoc casu certe nullum mandatum prodest, vel potuit noluit tamen & prohibuit, & arrestum non tenet nec effectum valet, vel non prohibuit attamen noluit, & hoc casu recte arrestat procurator & tenet arrestum arg. l. 2. ff. de iurisd. etiam si expressa factio ad nihilum redigi vel confirmari possit à principali.

LXVIII.

De Socio subiicit quod possit arrestare debitorem sui socij: Sed illud adfertur explicandum est habere locum in socio omnium bonorum, vel ejus commercij de quo debitum extitit, aliās hoc jus ipsi non conceditur arg. l. 21. 22. 29. 65. &c. ff. pro socio.

LXIX.

Nunc quorum bona arrestari possunt videbimus. Doctores hic principio movent quæstionem An advena debitor, quem creditor contractu cum ipso inito, scit statim recessurum, possit ab eo arrestari? Puto distinctione hanc facile explicari. Vel enim fides illi habita fuit à creditore illum virum bonum æstimante, etiam si illum ad venam esse non ignoraret: vel creditor sciivit aut dubitavit quod esset obæratu debitor ipsum forsan decepturus; Hoc casu cum habeat creditor sibi quod imputet arg. l. qui cum alio l. 19. ff. de Reg. Jur. ad arrestum actor non recte admittitur V. Gomez. 2. Resol. 11. n. 57. Illo casu contraxit cum illo ut solvat statim antequam urbe exeat, & hic, (cum dies actionis venerit) recte arrestatur; vel ut solvat post aliquod tempus, & tunc regulariter quidem attendendus est dies solutionis l. cedere diem ff. de Verb. signif. sed cum expectatio illa actionem creditoris possit reddere inanem (sc. cum debitor aufugere velit) etiam ante diem arrestum concedendum arbitror arg. l. 41. ff. de iudicijs. V. Gomez. d. loc.



## LXX.

An milites ab hocce incommodo sint exempti Dd. disputant *Peck. in suo tract. de Arrest.* hoc negare voluit. sed id ita simpliciter sumptum probare non possum; Arrestum enim non conceditur nisi causa cognita propter fugæ suspicionem quando vult creditorem decipere, quo casu leges ne minorib. multo minus militib. succurrunt, nam privilegia in damnum & præjudicium tertij non conceduntur. Quod in bona minorum fiat immissio constat *ex l. 7. §. 10. 11.* Atqui immissio (sc. ex primo decreto) Arresto à Dd. comparatur *Gaill. de Arrest. c. 12. n. 8. c. 1. n. 12.* Accedit & quod privilegia sint stricti juris & quæ nominatim in illis non repereuntur, reliquuntur dispositioni juris communis. Hoc itaq; cum non reperitur (*nec ex l. 7. & Auth. agricultores C. quæ res pign. oblig. poss. à Dd. peream diff. contrarium doceri possit*) nos quoq; non statuimus, Etiam si aliquo casu & in quibusdam eorundem rebns arrestum cesser. Cessat autem in armis & militibus in castra discessuris *d. 1. & auth.* Ratio quia ibi subest publica utilitas.

## LXXI.

Idem in studiosis respectu eorum librorum, quos Dd. armis comparant, statuo. In reliquis arresto locum esse non dubito Dd. dissent. movent illa verba *auth. Halita C. ne filius pro patre. ne ipsis injuria inferatur*, Sed certe non facit quis in juriam, cum secundum juris communis dispositionem suum persequitur.

## LXXII.

In Rusticis idem dispositum est sub dictâ distinctione in præcedentib. *per l. 7. C. quæ res pign. oblig. poss.*

## LXXIII.

An vero concedatur Arrestum propter minimum debitum quaeritur à *Pechl. d. rr.* ubi negativam defendit sententiam per has rationes (1.) propter debitum minimum nemo est suspectus, sed hoc indistincte si intelligat falsum est. Non enim tam quantitas debiti quam alia; fuga nempe vel suspicio fugæ arrestum causantur (2.) statutum loquens de debito non esse intelligendum de minimo. Quasi vero minimum debitum non esset debitum, nec statuta strictam reciperent interpretationem.

Quare



Quare contrarium sentiens etiam ob minimum debitum concedi posse, cenſeo.

LXXIV.

Conceditur vero Arrestum in bona debitoris omnia, tam quæ revera ejus sunt, quam quæ ejus esse præſumuntur, ut si res uxoris in domo debitoris repereatur *arg. l. 9. §. ff. 3. ff. de jure dotium.* imo debitum mei debitoris recte arreſtatur *arg. l. 2. C. quand. fisc. vel priv.*

LXXV.

Non tamen indifferenter concedi debet sed judex primum in jus & factum inquireret *arg. l. 13. ff. de reb. auth. judic. possid.* in quo quomodo probationes accipiendæ sint judicis arbitrio rectius relinquitur *d. l. de hoc supra locuti sumus.*

LXXVI.

Finis & effectus Arresti describitur à Gaill. *tr. de Arrest. c. 1. n. 15.* quomodo vero tollatur dictum est supra *rh. 85. V. Gaill. c. 3. de Arr.* Quod hic idem observatur. ubi tamen addendum est quod Arrestum solvatur per bonorum cessionem *l. fin. C. qui bon. ced. possunt Nov. 4. c. 3.* Etiam per literas quinquenales dilatorias *l. 2. C. de precib. imper. obl.* sed hic de debito solvendo cautio interponi debet *l. 4. Gotthofr. C. de precib. Imperat. offer.*


LXXVII.

Post arrestum sublatum fit restitutio eum omni causa quam habuit arrestatus tempus arresti *Gaill. de Arrest. c. 13.* Arresto autem per Cautionem sublatò fit examinatio causæ coram judice competente *de quo Gaill. d. tr. c. 13. n. 12.* In summarijs enim hæc exceptiones majorem desiderantes cognitionem non admittuntur, sed ad causam principalem reservantur:  
*l. 3. §. 13. ff. ad exhib.*

SOLI DEO GLORIA.

















Quare contrarium sentiens etiam ob  
cedi posse, cenſeo.

LXXIV.

Conceditur vero Arrestum in bo  
quæ revera ejus sunt, quam quæ ejus  
res uxoris in domo debitoris repereatur  
dotium. imo debitum mei debitoris re  
quand. ffc. vel priv.

LXXV.

Non tamen indifferenter concedi  
in jus & factum inquireret arg. l. 13. ff. de  
quo quomodo probationes accipiendæ  
etius relinquitur d. l. de hoc supra locuti sum

LXXVI.

Finis & effectus Arresti describitur  
is: quomodo vero tollatur dictum est su  
Arr. Quod hic idem observatur. ubi tamen  
Arrestum solvatur per bonorum cessionem  
possunt Nov. 4: c. 3. Etiam per literas c.  
l. 2. C. de precib. imper obl. sed hic de deb  
terponi debet l. 4. Gothofr. C. de precib. l.

LXXVII.

Post arrestum sublatum fit restitutio  
habuit arrestatus tempus arresti Gaill.  
autem per Cautionem sublato fit examin  
ce competente de quo Gaill. d. rr. c. 13. n.  
hiſce, exceptiones majorem deſiderante  
mittuntur, sed ad causam princip  
l. 3. §. 13. ff. ad exhib.

SOLI DEO GL



bitum con-

omnia, tam  
ntur, ut fi  
3. ff. de jure  
rg. l. 2. C.

x primum  
posid. in  
bitrio re-

rest. c. 2. n.  
Gaill. c. 3. de  
n est quod  
i bon. ced  
dilatatorias  
cautio in-

usa quam  
3. Arresto  
ram judi-  
rijs enim  
non ad-  
atur:

the scale towards document

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

Patch Reference numbers on ITT

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No.